DE ECHIO. CAP. CII.

NOMINA.

Bugloſſum ſyluestre.

Echion quare dictum.

ECHION, ἡ ἀλκιβιάδιον Græcis, Echion & Alcibiacũ Latinis dicitur. Officinis ignotum. Vulgares herbarij ſyluestre Bugloſſum nominant, quos ſequentes Germani wild Ochſenzungen appellant. Echion autem dictum uolunt, quod contra ferarum ictus ſit utile. Alij quod floreſcit capitulis uiperæ ſimilibus. Rectius Dioſcorides, quod ſemina uiperino capiti ſimilia habeat.

FORMA.

Folia obtinet oblonga, aſpera, tenuia, Anchuſæ proxima, minora tamen & pinguia. Habet & aculeos exiles foliis adiacentes. Cauliculos tenues multos, & utrinque foliola tenuia, pennata, nigra, minora proportione ad cacumen caulis. Iuxta folia flores purpureos, in quibus ſemẽ eſt uiperino capiti ſimile. Radix digito exilior, ſubnigra. Ex qua ſanè deliniatione ſole clarius fit, herbam cuius picturam hic exhibemus eſſe Echion. Folia enim habẽt prælonga, hirſuta, tenuia, ad Anchuſam accedentia, minora tamẽ pinguiaq́, tenuibus ſpinis horridula, cauliculos tenues, numeroſos, minutaq́ folia utroq́ latere dependentia, nigra, in ſummo caule minuſcula, inter quæ purpurei flores emicant, in quibus ſemina uiperarum capitulis ſimilia inſident, à ceruice paulatim in roſtellum extenuata, tu midiore ſuperna parte, in qua quædam prominulæ quaſi ſedes oculorũ apparent, id quod ego hiſce oculis non ſemel, ſed iterum atq́ iterum conſpexi. Radix digito tenuior nigricat.

LOCVS.

Vbiq́ ferè ad itinera, & in aſperis locis naſcitur.

TEMPVS.

Iunio menſe floret.

D

TEMPERAMENTVM.

Calidum eſſe citra tamen inſignem ſiccitatẽ inde conijcitur, quod lactis procreatricem facultatem obtinet. Medicamenta enim, Galeno libro quinto capite uigeſimo de Simpl. med. facul. teſte, quia pituitoſos humores calefacientia in ſanguinem uertunt, lac procreare ſolent.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix non ſolum iſs qui à ſerpentibus morſi ſunt ſuccurrit pota cum uino, uerũmetiam præſumentes eam ne feriantur facit. Idem præſtant folia & ſemen. Sedat etiam dolores lumborum, & cum uino aut ſorbitione ſumpta lac proritat.

EX PAVLO.

Echion ſpinoſa herba eſt, quæ non modo à ſerpente commorſis cum uino pota auxiliatur, ſed præſumentes quoq́ percuti non patitur.

ECHION

LEONHART FUCHS *De Historia Stirpium Commentarii Insignes* BASEL, 1542 THE WARNOCK LIB